



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. XVI. De oratione, seu elevatione mentis in Deu[m] alia per totu[m] diem breviter repetita; alia ad certu[m] temporis spatium continenter producta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

mus, uberes venas novæ delectationis nascitur: nihil aliud præstante nativa eorum amaritæ, nisi ut sensibilior, gratiorque fiat ordinarii pastûs dulcedo. Quam si unam semper, ac finè ulla contrarii saporis vicissitudine, aut temperatione gustaret; brevè præ nimia assuetudine minùs jucundam experiretur, inò etiam aspernari, & fastidire eam inciperet; velut ipsum manna, etiamsi Angelorum panis, & quædam saporum quasi universitas esset; quia tamen unus, atque idem cujusvis diei cibus, in fastidium Judæis vertit, adeò ut nauseabundi exclamarent: *Nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man. Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* (Numer. c. ii. & 21.)

CAPUT XVI.

De oratione, seu elevatione mentis in DEUM: alia per totum diem breviter repetita, alia ad certum temporis spatium continenter producta.



Ocus jam est, ut excitato in Lectorum animis (quod efficere hactenus conati sumus) ardenti, eodemque læto, & suavi amore erga

ga DEUM, pergamus de iis actibus disputare; ad quos proprium amoris prædicti est incitare animas vitali suo igne succensas: explicando, quàm convenient, & faciles sint verè amanti, quaque ratione perfectiùs exerceri ab eo possint. Non quia, qui revera amat, eorumque principium intrà se habet, nequeat finè alio exteriori magisterio, & impulsu, quàm exactissimè iis fungi: sed, ut pro sapienti Cordubensis Philosophi animadversione, (L. 2. de Clem. c. 2.) *Quod impetus, & natura est, fiat iudicium*: nempe, ut propositam sibi distinctè habens prædictorum hinc actuum dignitatem suam indè ad eos habitudinem; quod hujus instinctu vix advertens faceret; id audita priùs ratione, certòque, & deliberato consilio faciat. Qui modus operandi circa actus operantis propensionibus congruentes plurimùm valet, ut eorum exercitatio & majore animi ardore suscipiatur, & frequentius iteretur, & constantius, æqualiùsque urgeatur. Paucis tamen quibusdam exceptis, quorum animi perfectè à divina charitate possidentur; ità ut in hac exercenda *patientur* magis, quàm *agant*. Hi enim tantò excellentiùs DEUM amant, quantò illum à se amari minùs advertunt: juxta memorabilem illam, ut-
que

que à Cassiano appellatur, *cælestem*, & plus quam humanam, magni Antonii sententiam, (Coll. 9. c. 30.) affirmantis, *non esse orationem perfectam, in qua Monachus vel hoc ipsum, quod orat, intelligit.* Sed cum hujus notæ animabus meus liber non agit, utpote cum iis, quæ, quod fortunatorum hominum esse proprium Aristoteles scribit, (L. 7. Eudem. c. 18.) *Principium agendi habent, intellectu, & voluntate præstantius:* quarumque institutionem si hic mihi arrogarem, audire idem monitum merer, quod Sophronisco Socratis patri dedisse oraculum fertur, dicens: nè de suo illo filio gubernando sibi curam fumeret, sed *sineret eum agere, quidquid in voluntatem venisset, neque aliò abduceret.* *Habere enim eum vitæ ducem sexcentis pædagogis meliorem.* (Plut. de Gen. Socr.) His itaque sub cælestis sui Magistri disciplina relictis, aliis, qui communi via gradiuntur, quosque solos hic alloquor, exercitationes, sacri amoris sui proprias subjiciam ab ea incipiendo, quam capitis titulus præfert, assidua nimirum elevatione mentis in DEUM.

2. Et certè nihil hac exercitatione cogitari potest sive æquius, sive utilius, quodque divina eloquia, & sacri doctores impeniùs commendent. Æquitas illius tam manifesta

D d

est,

est, quàm DEI erga nos providentia. Cùm enim assiduam ille nostri curam gerat, quidni congruentissimum rationi sit, ut assiduam nos quoque illius foveamus memoriam? Rectè author meditationum, D. Bernardo adscriptarum. (c. 6.) *Sicut nullum est inquit, momentum, quo homo non fruatur DEI bonitate, & misericordia; ità nullum sit momentum, quo eum presentem non habeat in memoria.* Et novam eidem argumento vim addit naturalis nostra imbecillitas, nihil boni finè DEO assequi potens, sempèrque illius adjutorio indigens. An non enim indignissimum est, cùm ille, quamvis nulla in re nostri egens, nullo tamen non tempore de nobis cogitet, nos, qui ejus auxiliis, & donis in singula momenta opus habemus, minùs de eo cogitare? *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in calis. Ecce, sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum, ità oculi nostri ad Dominum DEUM nostrum, donec misereatur nostri.* (Ps. 122.) Regius Psalter canebat, probè intelligens, quàm conveniat pauperi eum respicere, à quo potest juvari: & tandiu, totiesque respicere, quoties, & quàm diu illius eget adjutorio. Quid porro de utilitate, quæ indidem percipitur, dicam? Nihil illâ quoque luculentius patet. Nam

neque ulla est aptior participandæ alicujus
 qualitatis ratio ; quàm si ad illius accedatur
 principium , neque ullum est aliud cujuslibet
 boni principium , quàm DEUS. Quapro-
 pter , si nequit non illuminari , qui ad solem
 primariam lucis causam , aut non calefieri , qui
 ad ignem caloris totius fontem accedit ; ne-
 que fieri poterit , quin purgetur , & perficia-
 tur , qui ad DEUM , totius puritatis , & per-
 fectionis principium , erigere mentem con-
 suevit. Sed similiter illi eveniet , ac versan-
 tibus in taberna unguentaria , qui odorem lo-
 ci corpore , ac vestibus combibunt : útque
 gravidis evenisse fertur Jacobi Patriarchæ ovi-
 bus , quæ virgarum suo aspectui objectarum
 colores in fœtum suorum vellera imaginati-
 onis vi transtulerunt. Ità planè , inquit B.
 Ephrem , (*Serm. de Pat.*) *DEI semper memine-
 ris, & cælum mens tua evadet.* Priùs illo eun-
 dem effectum agnoverat , & contestatus lucu-
 lenter fuerat magnus Areopagi Doctor Dio-
 nysius , (*De Eccl. Hier. c. 4.*) comparans men-
 tem in DEO semper defixam pictori , qui per
 attentam objecti alicujus contemplationem
 assequitur , ut sua illud in tabula quàm similli-
 mè exprimat. Ità quippe *intentus , & nunquam
 declinans , in arcanam pulchritudinem obtutus id*

homini largitur, ut divinam in se similitudinem referat. Quid multa? Usque adeò sequi certus est hujusmodi effectus, ut vel solo naturalis rationis lumine illum Plato perviderit: negans proinde in sexto de Republica libro fieri posse, quin anima objectum in se exprimat, quod jucundè, amantèrque contemplari pergit, néve divinam quodammodo speciem anima induat, quæ assiduam cum DEO consuetudinem habet. An putas (verba ejus sunt) fieri posse, ut id non imitetur aliquis, cui cum amore admirabundus inhaeret? Nullo modo. Quare, cum Philosophus divino, & decoro frequenter adhæreat, divinus ipse, atque decorus efficitur.

3. Quamobrem tam eximia sacri hujus commercii tum æquitate, tum utilitate æstimata, hortatur nos Salomon, ut quoscunque inter vitæ actus retinere affixam Deo mentem curemus, scribens: (Prov. 3.) *In omnibus virtutis cogita illum.* Et D. Basilius vult ejus imaginem in animis nostris non tanquam in speculo obiter repræsentari, sed quasi in ære, vel marmore perpetuò insculptam hære. (In Reg. fus. disp. c. 5.) *Omni custodia, inquiens, custodiendum nobis cor fuerit, neque patiendum, ut assidua de DEO cogitatio ex animis nostris elaboratur: contrâque id agendum, ut ex perpetua, pa-*
ris-

risimâque recordatione impressam in animis nostris
piam de DEO notionem, velut indelebile aliquod
signum circumferamus. Imò ubicunque com-
mendatum apud sacros Scriptores perpetem
orationis usum legimus, ut in iis Ecclesiastici
verbis, (c. 8.) *Non impediaris orare semper,*
& in illo D. Pauli ad Thessalonicenses docu-
mento, (Ep. I. c. 5.) *Sinè intermissione orate,*
nec non in simili alia Servatoris nostri senten-
tia, (Luc. c. 18.) *Oportet semper orare, & nun-
quam deficere,* perpetuam ibi quoque sublati-
onem mentis in DEUM, utpote quæ ipsissima,
& propriissima est oratio, intelligere com-
mendatam debemus. Et præcipuè inter alios
eam nobis Cassianus commendat: jam (Coll.
10. c. 13.) *Perparum orare,* affirmans, *qui illo
tantum tempore, quo genua flectit, orare consuevit;*
jam pro totius spiritualis vitæ scopo haberi
illam jubens, (Coll. 1. c. 8.) *Hic ergo nobis prin-
cipalis debet esse conatus, hæc immobilis destinatio
cordis jugiter affectanda, ut divinis rebus, ac DEO
mens semper adhæreat;* jam turpissimi flagitii in-
star condemnans, si à DEO mens vel obiter
deviet. (Coll. 14. c. 11.) *Omnis cogitatio non so-
lùm turpis, sed etiam otiosa, & à DEO quantu-
luncunque discedens à perfecto viro immundissima
fornicatio deputatur.* Quæ illius sensa imitatus

est D. Bernardus, vel quisquis alius *speculum Monachorum*, inter ejus opera editum, scripsit: præcipiens, ut, qui divino cultui se devovit, *In omni actu, vel cogitatu suo DEUM sibi adesse memoretur, & omne tempus, quo de ipso non cogitat, perdidisse se computet; & jure optimo quidem: nimum enim quantum dedecet remissiori nos conatu, & ardore animi divinæ contemplationi vacare, quàm humanis scientiis operam daret senior Plinius, qui, uti proditum memoriæ de ipso est, perire omne tempus arbitratur, quòd studiis non impertiretur. (Plin. Ep. 5. L. 3.)*

4. At, si perpetua hæc conjunctio mentis cum DEO tanti pretii, & momenti res est; non minoris fortè erit, juxta rerum eximiarum consuetudinem negotii, & laboris. Ità procul dubio, si de hominibus profanis loquamur. Cæterum, qui DEI cognitione, & amore imbuti altiùs sunt, nihil eâ experiuntur faciliùs, & propensione suæ accomodatius. *Qui diligit* (verba sunt *Manualis*, sub D. Augustini nomine impressi) *oculos suos semper habet ad DEUM, quem diligit. Nihil aliud potest cogitare, nihil loqui: cætera fastidit omnia. (c. 19. & 20.)* Quamobrem tantùm abest, ut hujusmodi animabus molestum, & difficile acci-

cidat de DEO cogitare, aut aliorum hortati-
bus stimulari egeant ad mentem in eo defigen-
dam, ut hanc potius ab eo avellere sinè ma-
gna vi nequeant. Id quod usuveniebat B. A-
loyfio Gonzagæ, adeò in DEU M continen-
ter abfôrpto, ut, cùm tam affidua mentis e-
levatio gravis admodum valetudinis imbecil-
litati eſſet, tuendæ hujus cauſâ coacti Religi-
oſi Præſides fuerint illi interdicerè, nè tam ju-
giter divinis vacaret. Sed eventu parùm re-
ſpondente illorum conſiliis. Cùm enim ſan-
ctus Juvenis haud minus difficultatis, violen-
tiæque experiretur in avocatione mentis à
DEO, quàm alii in firma illius cum eodem
conjunctione experiantur; quemadmodum
his vel minimè advertentibus, & volentibus
ſolet mens orationis tempore huc illuc per
terrena objecta evagari; ſic illius cogitatio-
nes extra tempus orationi deſtinatũ ſua ſpon-
te, furtivòque, & inobſervato ipſi effugio ad
caeleſte ſuum objectum redibant. Cùmque
naturalis quodammodo illi evaſiſſet DEO pe-
nitùs adhærendi propenſio; reprimendæ hu-
jus conamina majus penè afferebant illius va-
letudini incommodum, quàm id foret, cujus
propulſandi gratiã vetitus à ſuis moderatori-
bus fuerat, eidem obſecundare. (*March. in
vit. L. 2. c. 6.*)

5. Neque verò fieri aliter potest; natura quippe insitum cuiusvis amori est, conjunctionem cum objecto suo quærere. Quam non valens illo absente, nisi cum aliqua ejus imagine assequi, hanc sibi effingit in mente, hujus contemplatione animum pascit, huic gaudet perpetim affixus hærerere. Ideoque ut impossibile est, ut enixè aliquid amet, qui parùm de eo cogitat, juxta illud à Dalila objectum Samsoni argumentum, (*Jud. c. 16.*) *Quomodo dicis, quòd amas me, cum animus tuus non sit mecum?* Ità contrà necesse est, ut, quod ardentè quis amat, illud semper animo recolat: coactus nimirum eò ferri, quò à suo pondere, hoc est ab amore rapitur. Siquidem, teste Augustino: *Pendus meus amor meus: eò feror, quocunque feror.* Unde S. Laurentius Justinianus certissimam illam regulam eruit: (*In Lign. Vit. de Char. c. 4.*) *Vis nôsse, ubi thesaurizas? Attende, quid amas? Vis nôsse, quid amas? Attende, quid cogitas? Ità sit, ut thesaurum tuum ex tuo amore cognoscas, & amorem tuum ex indicio cogitationis intelligas.* Et revera, fac, sponsa à sponso suo absit, quem nihilo se ipsa amet minùs. Quàmnam jucundior illi esse occupatio potest, quàm mente illò ferri, ubi amoris sui objectum versatur: quàm revolve-

re

re animo, quid sive ab eo fieri, sive ipsi acci-
dere id temporis queat: quàm sibi repræsenta-
re illius charam speciem, illius blandos mo-
res, illius amabiles prærogativas: quàm re-
vocare in memoriam colloquia olim cum eo
habita, mutuique significationes amoris à se
erga ipsum, & ab ipso vicissim erga se editas?
Ut in suavissimis hisce imaginibus penitus de-
fixa hæret? Ut iis respectandis, degustandis-
que expleri nescit? Ut præ voluntarii illius
somnia dulcedine citra sensum illi horæ præ-
tervolant? Denique, *illum absens absentem au-
ditque, videtque*: (Virg. 4. Æn.) & secundum
celebre D. Bernardi effatum, illius spiritus
(De Præc. & Diss.) *Non præsentior est, ubi a-
nimat, quàm ubi amat.* Imò, ut sic loquar,
plùs videtur existere in objecto amato, quàm
in corpore ipso, quod animat: cùm in hoc so-
lam penè vegetandi virtutem exerceat, in eo
autem secundum reliquas omnes facultates su-
as degat.

6. Si ergo amor personæ mortalis, cu-
jus amabilitas plus semper admistum ingrati,
& pœnitendi habet, nedum sinè labore, sed
summa etiam cum voluptate universas animæ
amantis cogitationes in ea potest defigere;
quidni parem vim habeat illius amor, qui est

totus desiderabilis, nec amabilissimus modò, sed ipsamet pura, & infinita amabilitas: adeò ut animæ illum probè cognoscenti, dignè æstimanti, supérque omnia diligenti gravis esse, & molesta consideratio illius nequeat. Quo enim pacto laboriosum, violentum, ac triste exercitationis genus sit, contemplari infinitam pulchritudinem, adhærere summo bono, conversari cum eo, quo níl pluris facias, níl ames impensius? attestante Sapiente, nihil indè hauriri, nisi meram dulcedinem. (*Sap. c. 8.*) *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiã, & gaudium.* Adhortante Jacobo Apostolo, ut eã, velut certissimo mœroris amuleto utamur. (*c. 5.*) *Tristatur aliquis vestrum, oret.* Regius Vates in ea una solatium se reperisse, & delectationem fatetur: (*Pf. 76.*) *Renuit consolari anima mea. Memor fui DEI, & delectatus sum.* Quamobrem Catharinæ, Terefiæ, Ignatii, Philippi Nerii, tótque alii divinam charitatem professi Sancti, in contemplatione cælestis sui Domini noctes jungebant diebus tam profunda cum mentis attentione, ut nullum interea retinerent vel sui, vel cujusquam terrenæ rei sensum, tantaque cum voluptate, ut horas breviores momentis tunc ducerent, nec alio se vi-

ve-

vere arbitrarentur tempore, nisi quod tam dulci negotio impendissent. Quorum exempla, quamvis ultimos quosque amoris profani conatus, atque fines transgressa, nequeunt tamen admirationi esse, nisi ignorantibus, vel quantam vim magnus amor obtineat, vel quàm magnus DEO debeatur, tam immenso, atque incomparabili bono. Et sanè id ignoratis terrenarum rerum cæci amatores, quibus ob voluntariam mentis stupiditatem infuave, molestumque accidit, non dicam per plures horas, sed & pauca per momenta de DEO cogitare, in cuius visione vestrum ceteroqui ultimum finem, & totam consistere animarum vestrarum beatitudinem nôstis. Unde fit, ut audientes, quamdiu, & quanta cum jucunditate sancti Viri illius contemplationi vacaverint, admirabundi vobiscum exquiratis, quodnam ibi repererint menti suæ pabulum, quòque pacto illam possent in tam metaphysico, & insensibili objecto defixam tot horis tenere: Nihilo sanè admirationis istius causâ miserandi, & irridendi minùs, quàm vespertiliones, noctuæque essent, si mirarentur, posse aquilas inconniventi obtutu solis jubar spectare. *Væ tibi, generatio prava, atque perversa: (clamat D. Bernardus) Væ tibi,*

po-

popule stulte, & insipiens, qui & memoriam DEI fastidis, & presentiam expavescis. Caterum fidelis anima & suspirat presentiam inhiante, & in memoria requiescit suaviter. (De Dilig. Deo.) Ah miserabiles noctuæ! cum veluti huic volucrum generi cruciatum afferre lux visibilis solet, qua nihil cæteroqui est oculis gratius; sic molestim vos quoque experiamini, nec ferre finè tædio, & labore æterni solis lucem possitis, cujus visu nihil habet mens integra ex omnibus suis objectis jucundius. Et quid, rogo, cogitari miserius potest vestro isthoc morbo, qui amarum, ingratumque vobis reddit ipsiusmet boni gustum, nec qualiscunque tantum boni, sed summi, sed infiniti, sed illius, cujus fruendi gratiâ nati estis, & finè quo beatis esse vobis non licet? Sciretis utinam, qualem jucunditatis, inò anticipatæ beatitudinis fructum mens probè affecta in DEO ruminando, & mente gustando reperiat; quàm miseri vobis videremini, quòd eo careatis? Et miseres adhuc estis, quòd tales vos esse ignoretis. Verissimè olim scripsit Plutarchus, (De Fals. Epic. Juc.) Epicureos, dum rerum nostrarum providentiam DEO eripiunt, haud levem impiæ opinionis suæ pœnam luere. Nostri quippe gubernationem ipsi eripientes,
eam

eam quoque sibi ipsis voluptatem eripiunt, quam afferre cuivis solet, si nōrit, se sub amica potentissimi, & beneficentissimi Rectoris cura esse. Sed non minū verè ego dixerim, vestrū istum DEI rite noscendi, atque amandi neglectum, si ingens culpa est, ingentem quoque pœnam sui esse. Cū indè oriatur, nè citra tædium cum DEO versari possitis: quod cæteroqui infinitam illius bonitatem, pro eo ac par est, cognoscentibus, atque amantibus omni nectare dulcius accideret.

7. Quamvis autem perfacilem, quin & jucundam DEI contemplationem experiatur, quisquis amore illius flagrat; ut tamen hic amor plūs, minūsvē accendere animum potest; sic plūs, minūsvē facilem, & jucundam prædictam contemplationem ei reddit. Neque ego omnis ad eò æquitatis, & modi sum nescius, ut à quovis hujus professionis tyrone eum profectum requiram, quem non sinè longo usu, & eximio cæli munere sanctis viris in ea assequi contigit. Cū igitur nequaquam instituti mei sit, admiranda, & magnorum tantummodo Heroum propria; sed plana, & communia in medium afferre, debeámque certam aliquam hujus exercitationis praxim statuere, quæ à spiritualibus quibusque viris ob-

observari commodè queat ; operæ pretium fore arbitror , si duos hinc orandi , seu mentis in DEUM attollendæ modos distinguam. Primus est , magis per otium , quando nempe animus profanis quibuslibet curis , & studiis valere interim jussis , totum se penitus in considerationem DEI colligit : adorans supremam illius majestatem , admirans magnitudinem , amans bonitatem , professaque , nec interrupta attentione cum eo quàm diutissimè agens : modus à Jeremia indicatus , ubi de sermo DEI scribit , (*Thr. c. 3.*) *Sedebit solitarius , & tacebit.* quemadmodum etiam Psalter Regius canit : (*Pf. 54.*) *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ , & volabo , & requiescam. Ecce elongavi fugiens , & mansi in solitudine.* Alter crebra per temporis intervalla obiter repetitus , qui juxta domi , atque in publico , tamque in hominum frequentia , quàm in solitudine , & sive ab otiosis , sive ab occupatis , inque medio rerum externarum actu versantibus exerceri potest mente in DEUM crebrò , & raptim sublata : modus à D. Paulo expressus in iis ad Corinthios verbis : (*Ep. I. c. 10.*) *Sive manducatis , sive bibitis , sive aliud aliquid facitis , omnia in gloriam DEI facite :* & frequentari tum ab omnibus communiter DEI servis , tum præ-

ci.

cipuè ab Ægypti Monachis solitus : qui , teste Cassiano , *breves quidem orationes , sed creberrimas* usurpabant , externisque ipsis operibus *orationes per singula momenta miscentes , in his officiis , quæ nos statuto tempore celebramus , totum diei tempus absumebant.* (*De Inst. L. 2. c. 10. & L. 3. c. 2.*)

8. Ambo hi modi & maximè proprii amanti DEUM animæ sunt , & ad charitatis , totiùsque perfectionis incrementum apprimè utiles , imò etiam necessarii. Proprios dixi primò ambos esse animæ , quæ DEUM amet. Amor quippe , ceu compertissimum cuique est , nihil appetit magis , quàm suo objecto , seu loci , seu mentis proximitate conjungi ; ac propterea , quamdiu fas est , immobili continuatione ipsi adhæret. Quod si insuperabilis necessitas transire aliò coëgerit , quemadmodum violenter indè avellitur : sic ad ipsum identidem respicit , & conatur , quantum potest , reverti. Quam illius proprietatem graphicè exprimit Manuale D. Augustino adscriptum , his verbis : (*c. 9.*) *Hæc est vera cordis requies , cum totum in amorem DEI per desiderium figitur , nec quidquam aliud appetit , sed in eo , quod tenet , felici quadam dulcedine delectatur. Si verò vana aliqua cogitatione , vel rerum occupatio-*

ne

ne indè aliquantulum abstractum fuerit, summa cum festinatione illuc redire festinat, exilium reputans alibi, quàm ibi moram facere. Ambos itidem perquam opportunos, imò etiam necessarios ad divinæ charitatis fervorem, animæque spirituales profectum vocavi. Quemadmodum enim, qui hyberno tempore calefieri, & perseverare totum diem calidus velit, necesse primò est, ut longiusculè foco affideat, & deinde, quoties conceptus ibi calor tepescere incipit, refovendi illius causâ eodem recurat; sic ad magnum concipiendum, & toto die retinendum charitatis ardorem, necesse primùm homini est, ut cum DEO per attentam, quietamque meditationem tamdiu commoretur, quoad sacri illius amoris flagrantiam non summa tantùm cute, sed intimo pectore hauriat: rursúmque est necesse, ut fervorem ibi haustum, qui perfacilè inter varios vitæ actus paulatim deficeret, per breviores, sed crebrò iteratas ad DEUM aspirationes restauret. Et veluti, ut corpus per hyemem intimè calefiat, totiúsque diei spatium calidum duret, neque longior una juxta ignem commoratio finè novis, esto breviusculis ad eundem accessibus, neque horum frequentatio finè aliqua diu ibi producta statione

ne sufficeret, sic, ut vivido, stabilique DEI amore animus flagret, haud satis illi esse communiter solet, vel certum quotidie aliquod tempus in statuta illius consideratione transigere, nisi per diem reliquum ejusdem recordari quàm sapissimè pergat, vel eum ità sibi crebrò revocare in memoriam, si nulla diei hora à terrenis curis liber cum eo intimè agat. Quamobrem sancti ferè omnes Viri sacrae hoc exercitationis genus utroque ex modis prædictis consueverunt obire: ità ut, quàm longissimè poterant, DEO uni contemplando vacarent, & quàm frequentissimè, ac per singula penè momenta ex mediis humanarum occupationum, hominùmque turbis ad eum mentem erigerent.

9. His ità constitutis, si posteriorem modum mentis in DEUM sublevandæ observe- mus, perquam liquidò apparet, posse illum nedum sinè tædio, & labore, verùm etiam singulari cum voluptate ab omnibus frequentari, qui aliquantulum in DEI cognitione, & amore profecerint. Nam quod tandem exercitationis genus accidere potest amanti animæ gratius, quàm identidem ferri in sui amoris objectum, & objectum præsertim tantæ pulchritudinis, ac suavitatis, quanta in Deo

E e

fese

sefe exhibet? Certè externa negotia tantum absunt ab illa impedienda, nè id agat, ut potius suo labore, suisque incommodis, ac molestiis tam jucundum ei levamen commendent. Non secus atque homini, qui defixos assidue oculos habeat in suo aliquo, suendi verbi gratia, vel scribendi opere, relaxationis, & oblectationis locò est, eos interdum ad sudi aeris, seu viridis campi aspectum convertere. At si de priore magis attento, & continuo divinæ consuetudinis modo loquamur, quamvis ipse etiam à spiritualibus viris per iustum aliquod temporis spatium facile, suaviterque usurpetur; nihilominus toto illum die, vel ad plures continenter horas producere homini, qui peculiare contemplationis donum à DEO sortitus non est, nequit, nisi admodum gravis, & laboriosa occupatio videri: spirituum animalium causâ, quorum vim pernam in tam prolixa mentis contentione absumi necesse est, ac debilitatem ex illorum defectu cum in universo corpore, tum in capite præsertim subsequi. Præterquam quòd, ut citra tædium, & lassitudinem in prolixiore illa DEI consideratione animus duret, non satis ei est, ipsum amare, & omnibus quidem aliis objectis impensius: sed opus adhuc foret,

ret, ut vel nihil præter ipsum amaret, vel magis sensibili afficeretur erga ipsum, quàm erga aliud quodvis objectum, amore. Nam licèt, qui amat, nullam vim patiatur, de objecto suo cogitans, imò vim pateretur, si de illo non cogitaret; tamen hac ipsa de causa violentum amanti plura objecta est, non nisi de uno ex iis cogitare. Cùm, quàm naturaliter à peculiari unius amore erga illud impellitur; tam naturale itèm sit, ut ab unoquoque ex diversis aliis amoribus aliorum vocetur. Unde colligitur, eum, qui unà cum amore divino alios plures humanos in animo habet, quemadmodum fieri nequit, quin se jam ab uno, jam ab altero horum commoveri, & ad creata sua objecta abripi sentiat; sic ad mentem usque in DEO continendam debere necessariò iis assiduè obluctari: nec posse tam assidui luctaminis causâ non violentam, difficilèmq; experiri continuationem sui congressûs cum DEO, aut longum in hoc tempus sinè variis huc illuc mentis evagationibus tranquillè, suaviterque traducere. Atqui purum adeò à profano quovis amore hominem esse, ut vel nihil præter DEUM amet, vel magis sensibili affectu eum, quàm creata quavis objecta prosequatur, felicitas est, nemini, quam-

quamdiu in terris agit, citra fingulare DEI privilegium speranda. Atque hinc factum videmus, ut ii, qui excellentiore contemplationis dono instructi à DEO erant, non modò illius perpetuitatem diversis interdum actibus cogentur abrumpere; verùm eo etiam interdum, quo ipsi speciatim vacabant, tempore varias turbationes, difficultatésque experirentur, nec exiguo indigerent labore ad mentem immobiliter in DEO continendam: querentes de illius instabilitate, & ea Jobi verba gemebundi iterantes, (c. 17.) *Cogitationes meae dissipatae sunt, torquentes cor meum.* Quemadmodum inter alios magno illi Macario accidisse proditum est: (Sur. 2. Jan.) qui consilio apud se inito nihil unquam deinceps præter DEUM cogitandi, solidòque biduo in ea vacatione mentis exacto, tertia demum die, *cùm videret, jugiter fixum in DEO animum se habere non posse*, coactus est ab incepto desistere, ac æquo animo pati, quòd terrena hujus peregrinationis tempore, mortalis, & viator homo esset. Idque declarari adhuc luculentius potest exemplo amoris humani: qui, licèt majorem vim habeat defigendæ in naturali, & sensibili objecto suo mentis; si tamen plura simul, & diversa objecta habeat, haud

haud valet in eorum ullo continenter animū figere. Ac proinde, quantumcunque mater aliqua unicam sobolem diligit; quia tamen simul cum illa & se ipsam, & complures alias res diligit, fieri minimè potest, quin ab ea pluries per diem suas curas, & cogitationes aliorum traducat. Ex qua dissertatione conficitur, etiamsi facillimum amanti DEUM sit, crebra per intervalla ad eum mentem erigere, inò etiam id sæpe vel minimè advertens, per quemdam quasi naturalem amoris impetum faciat; non tamen æquè promptum, & suave eidem accidere alterum, res divinas diu commentandi exercitium. Quod, ut & suavius, & majori cum animæ quæstu, & minore cum corporis detrimento obeatur, moderato quopiam temporis spatio definiendum est, ut infrà de illo speciatim agentes dicemus.

10. Quod si fortè aliquis roget, uter ex prædictis duobus orandi modis ad spiritualem profectum plus conferat, majorique nobis curæ esse debeat? neutrum quidem tutò negligi posse responderim, sed eum mihi potiorē videri, qui toto die, singulâsque per horas repetita pluries exercitatione instauratur. Idque primò propter authoritatem tum Æ-

gyptiorum Patrum, qui juxta recitatum paulo antè de iis testimonium, (Cass. L. 2. c. 10.) *Utilius censebant, breves quidem orationes, sed creberrimas fieri*; tum Joannis Chrysostomi, qui idem confirmans, (Hom. 79. ad Pop.) *Oportet, inquit, orantem neque longos sermones extendere, & jugiter orare. Breves enim, & frequentes orationes parvis ex intervallis fieri, Christus, & Paulus praeceperunt.* Secundò, quia comentationis prolixæ exercitium non semper in promptu cuique est, sed multoties jam somni obrepentis torpore, jam capitis ægritudine, jam alio malè affecti corporis vitio impeditur, adeò ut attentè, fructuosèque obiri nequeat, & vix ab inerti otio differat: cum è contrario ad mentem crebro, & brevi nisu in DEUM erigendam nemo sat idoneus non sit. Tertiò, quia piæ illæ aspirationes per totius diei cursum modicis ex intervallis repetitæ, si unam omnes colligantur in summam, temporis spatium implere possunt, eo fortasse diuturnius, quod spirituales communiter viri quotidianæ rerum divinarum meditationi consueverunt impendere: sùntque altera ex parte, quales à Cassiano appellantur, (Coll. 9. c. 35.) *Pura libamina, vera, ac pingues hostiæ, holocaustomata medullata*: Oratio videlicet

cet tota cælestis, & DEO unicè intenta, sine
 ulla seu lassitudine, quæ illius vigorem ener-
 vet, seu mentis evagatione, quæ aliquid de
 tempore ipsi assignato surripiat: vitiis nimi-
 um quàm frequentibus, dum oratur prolixi-
 us: ubi, si D. Augustino fidem præstamus,
 (In Ps. 85.) *Vix est, ut occurrat stabilis oratio in-
 ter multas orationes. Diceret unusquisque, sibi
 contingere, alteri non contingere, nisi audiremus
 in scripturis David orantem quodam in loco, &
 dicentem: Quoniam inveni, Domine, cor meum, ut
 orarem ad te. Invenire se dixit cor suum, qua-
 si soletet ab eo fugere, & ille sequi, quasi fugiti-
 vum, & non posse comprehendere, & clamare ad
 Dominum, quoniam cor meum dereliquit me. Quar-
 tò demum, quia præcipuus statæ, ac diutiùs
 productæ orationis fructus non in eo positus
 est, ut tempus illud piè coram DEO transiga-
 tur: sed in eo potius, ut orans firmam ibi vo-
 luntatem concipiat, DEO per reliquum o-
 mne illius diei, ac vitæ suæ spatium quàm
 sanctissimè inserviendi, fugitando, quidquid
 ipsi viderit displicere, &, quidquid gratum
 contrà esse, alacriter capessendo, perfectèque
 obeundo. Quam ad rem, nemo non perspi-
 cit, quantò plùs conducat frequens, & assidua
 in mediis vitæ functionibus DEI recordatio,*

quàm si horulâ tantummodo aliqua cum eo conversati, totum reliquum diem sinè ulla ipsius cogitatione, & memoria ducamus. Quocirca, etiamsi utramque orandi rationem spiritualibus viris necessariam esse dixerim; pluris tamen faciendam hanc reor, quæ toto nos die conjungere cum DEO pergit; quàm alteram, quæ nostræ cum eo conjunctioni non nisi peculiare aliquod diei tempus præfigit. Illique specialius eâ uti debent, quibus vel deest diu orandi facultas, vel impedimenti alicujus causâ parùm è sententia successit matutina longior oratio: quo scilicet magis sedulo alterius instrumenti usû minorem alterius efficacitatem compensent. Quemadmodum, qui propter stomachi imbecillitatem minùs commodè una, alteraque vice sumerent, quidquid sibi opus est, quotidiani cibi; solent illud particulatim pluribus vicibus sumere: qui que sat justam aëris copiam nequeunt, præ pulmonis vitio, singulis respirationibus ducere; coguntur juxta Aristotelis observationem, (*De Juvent. & Sen. c. 14.*) crebriùs respirando, eum defectum supplere. Quare Abbas Dorotheus suo Alumno Dositheo, quem morbus vetabat consuetis orationibus fungi; earum omnium locò jugem DEI memoriam præ-

præscriptit. *Cessa, inquit, ab oratione: verum tamen DEI memoria nunquam abscedat à te. Cogita illum semper adesse, teque illius conspectui semper assistere. (In vit. Dos.)*

II. Utque de brevium hujusmodi orationum praxi aliquid subdam; (nam de oratione certo, & longiori tempore affixa distinctè agendum infra erit) Dico primùm, homini, qui DEUM toto pectore amet, nunquam esse ab earum usu cessandum: adeò ut sive solitarius, sive inter homines, sive otiosus, sive alicui operi intentus, DEUM assiduè, ceu præcipuum, imò unicum sui amoris objectum intueri, & memoriâ repetere studeat: tam crebrò mentis, cordisque oculos ad eum elevans; ut, quamvis inter singulas elevationes aliquid intercurrat; hoc tamen brevitatis suæ causâ delere in animo nequeat pias species, propensionésque à præviis ibi actibus excitationes, & tanquam sui effectum, ac semen relictas, atque ità animi conjunctio cum DEO appellari possit æquivalenter continua. Juxta quem sensum accipi debet illud *semper*, & illud, *sinè intermissione*, quod Christus Dominus, ejusque Apostolus Paulus in orando requirunt. Veluti hac etiam, aut simili aliaratione interpretanda sunt magna illius Asce-

ta Philoromi verba, cum professus de se est apud Palladium, (*Hist. Laus. Sect. 98. n. 113.*) *Non memini, me unquam animo à DEO recessisse.* Nam cæteris qui defixam ita jugiter in DEO mentem habere, ut nè ad punctum quidem temporis indè abstrahatur, Cælitum potius DEI aspectu fruuntur, quàm hominum in terris peregrinantium fors est. *Quis tam familiaris DEO,* (sapienter Cassianus interrogat) *qui Apostolicum illud imperium, quod sine intermissione orare nos præcipit, vel uno die se gaudeat executum?* (*Coll. 23. c. 7.*)

12. Dico præterea, assiduam hanc nullius non temporis, atque loci orationem in actibus partim intellectus, partim voluntatis consistere, qui vel DEUM merè intueantur, vel ad exercitationem illius amoris pertineant: & hujusmodi actus posse vel animo tantum concipi, vel exprimi etiam verbis, non illis quidem exquisito artificio compositis, sed qualia cor intimè affectum eructat. Et circa intellectus actus, pias scilicet de DEO cogitationes, si aliquos speciatim ad faciliorem eorum praxim designari tibi, Lector, desideras; præcipuo fore usui videntur sex hi, quos subijcio. Primus, ut consideres, quantus universè, quàmque excellens, & mirabilis in sua
in-

incomprehensibili essentia fit DEUS. Secundus, ut in omnibus, quæ spectanda se offerunt, putà animalibus, plantis, & rerum humanarum eventis, infinitam illius sapientiam, potentiam, & bonitatem agnoscas. Tertius, ut ex hujus, vel illius creati objecti magnitudine, specie, & amabilitate arguas, quantò major, speciosior, atque amabilior ipse eorum Opifex sit. Quartus, ut memineris, ipsum esse tuum Conditorum, Dominumque, & ultimum finem, cui nihil propterea non summi cultus, & obsequii debeas. Quintus, ut recogites, merum nihil finè illo te esse, tuamque omnem felicitatem in amica cum eo conjunctione consistere. Sextus, ut advertas, quonam pacto peragendum tibi sit opus, quod aggredieris, vel habes præ manibus, nè quid in eo ipsi displiceat, aut minùs, quàm posset, placeat. Quod verò ad actus voluntatis pertinet, poteris primò admirari incomparabilem, humanòque omni captu majorem ipsius excellentiam: despiciendo instar nihili præ eo, quidquid eximium, & mirabile alibi occurrat. Secundò res omnes creatas, vel rationis, ac sensus expertes, ad colendum, laudandumque eum provocare. Tertiò gaudere, quòd ipse sit, qualis revera est, adeò infi-

ni-

nitè perfectus, beatus, omnibùsque aliis rebus superior. Quartò humili cum terrore, ac reverentia fateri, si cum eo componaris, minorem atomo, vel pulvisculo, nec tam ens, quàm tenuem entis umbram te esse. Quintò confugere ad ipsum instar filii, orando, ut paternà suà ope in omnibus quà corporis, quà animæ periculis præsens tibi adsit: sed præcipuè ad lethale quòdvis crimem cavendum, & ad se, quantum velles, amandũ det vires. Sextò offerre illi rem, in qua fortè agenda occuparis, profitendo, nihil te ibi præter ipsius voluntatem quærere, libentissimèque illi operam navare, & adniscurum, ut summâ, qua potes, diligentiam illam peragas. Septimò desiderare majora, & majora in illius charitate incrementa, utque plus semper illi placeas, & quàm ocyssimè ad eum in suamet essentia contemplandum pervenias. Octavò peramanter ipsi gratias referre pro beneficiis, quæ tibi continenter impertit, tum providendo, ut res omnes creatæ tuis usibus serviant, tum necessariam ad singulos quosque actus tibi opem præstando. Nonò, quidquid molesti, vel minus grati eveniat, plenissimo consensu approbare, libentissimèque excipere, quia ab eo sancitum, & volitum. Decimò gratulari
ti-

tibi, quòd servus, amicùsque illius sis, & tam firmam spem habeas illo æternùm fruendi. Undecimò deplorare cum admirationis, & indignationis sensu tuam, communémque hominum vecordiam, in quærenda passim extra ipsum illa animi quiete, & jucunditate, quæ non nisi in ipso, vero, uno, summòque bono reperiri potest. Duodecimò totum te deinceps illius obsequiis devovere, certúmque in animo decretum concipere, nunquam eum offendendi, nihil præter ipsum amandi, ipsius voluntatem ubique implendi, & ipsi, quantum possis, maximè in omnibus gratificandi. Hos igitur, hísque similes actus alternatim exercenti, licebit perfacilè totius diei tempus in suavi cum DEO consuetudine exigere. Ubi tamen advertendum censeo, tempora minùs occupata, ut quæ inter unam, alterámque actionem intercedunt, vel eùm ab hoc loco ad illum transitur, intellectùs actibus accommodatiora esse: at verò contrà in medio occupationum æstu voluntati magis convenire, ut se DEO per suos actus conjungat.

13. Dico denique, potissimam hujus exercitationis partem, quæque ad eam fructuosius, & suaviùs obeundam plurimùm conferat,

rat, esse DEI tanquam præsentis memoriam: nempe ut illum non qualicumque concipiamus modo, sed instar alicujus, qui, ubicunque nos versamur, necessariò existat, assidueque nos intueatur, & ad omnia, quæ agimus, suam nobis operam commodet. Quæ representatio pro sua singulari, & præcipua ad animos permovendos efficacitate cursim, obiterque attingenda non est, sed distinctam tractationem, & proprium caput requirit.

CAPUT XVII.

De assidua inter promiscuos vitæ actus DEI tanquam præsentis memoria.

AMicitia, quamvis propriè animorum conjunctio sit, ex mutua tamen amicorum præsentia fomenti plurimùm capit: adeò ut per diuturnam hujus interruptionem illius quoque sensus paulatim elanguescere, ac demum extingui soleat, juxta illud proverbium: (*Athen. L. 5.*) *Amici, qui procul degunt, non amici.* Quia nimirum, teste Aristotele, (*Eth. L. 9. c. 12. & L. 8. c. 5.*) *Amor ex visu maximè*
exti-